



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno MCCCCXLVII. ad annum MDXXVII.

**Parisiis, 1644**

Sessio II.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15644**

ANNO  
CHRISTI  
1512.

ra, vna cum vicario tuo, patre & domino nostro Iulio, summo sanctissimoque pontifice, adoret te, & nomini tuo psallat in sæcula sæculorum. Amen.

S E S S I O II.

**D**IE Lunæ, septima supradicti mensis Maii fuit secunda sessio in supradicto loco. In qua fuerunt præsentés infra scripti reuerendissimi domini cardinales, patriarchæ, archiepiscopi, episcopi, abbates, magistri generales ordinum, oratores principum, & alii illustrissimi domini, videlicet:

*Episcopi cardinales.*

Reuerendissimus dominus Raphael Ostiensis.  
Reuerendissimus dominus Dominicus Portuensis.  
Reuerendissimus dominus Iacobus Albanensis.  
Reuerendissimus dominus Marcus Prænestinus.

*Presbyteri cardinales.*

Reuerendissimus dominus Thomas tituli sancti Martini in montibus, Strigoniensis.  
Reuerendissimus dominus Nicolaus tituli sanctæ Priscæ, de Flisco.  
Reuerendissimus dominus Robertus tituli sanctæ Anastasiæ, Nannentensis.  
Reuerendissimus dominus Leonardus tituli sanctæ Sufannæ, Agenensis.  
Reuerendissimus dominus Christophorus tituli sanctæ Prædixis, Anglicus.  
Reuerendissimus dominus Antonius tituli sancti Vitalis, Sipontinus.  
Reuerendissimus dominus Petrus tituli sancti Eusebii, Anconitanus.  
Reuerendissimus dominus Achilles tituli sancti Sixti, Bononien-  
sis.  
Reuerendissimus dominus Bandinellus tituli sanctæ Sabinæ, de Saulis.

*Diaconi cardinales.*

Reuerendissimus dominus Alexander sancti Eustachii, Farnesius.  
Reuerendissimus dominus Ludouicus sanctæ Mariæ in Cosmedin, de Aragonia.  
Reuerendissimus dominus Alphonsus sancti Theodori, Senensis.

*Patriarcha & assistentes papa.*

Reuerendus pater dominus Cæsar Alexandrinus.  
 Reuerendus pater dominus Alphonfus Antiochenus.  
 Reuerendus pater dominus Stephanus Patracensis & Torcellanensis.  
 Reuerendus pater dominus Vincentius Neapolitanus.  
 Reuerendus pater dominus Franciscus Iadrensis.  
 Reuerendus pater dominus Federicus Salernitanus.  
 Reuerendus pater dominus Gabriel Dyrrachienfis.  
 Reuerendus pater dominus Orlandus Nazarenus.  
 Reuerendus pater dominus Franciscus Vicentinus.  
 Reuerendus pater dominus Franciscus Sueffanus.  
 Reuerendus pater dominus Iulianus Agrigentinus.  
 Reuerendus pater dominus Ferdinandus Caietanus.  
 Reuerendus pater dominus Laurentius Asculanus episcopus, vice-  
 camerarius & gubernator Vrbs.

*Archiepiscopi.*

Reuerendus pater dominus Franciscus Confanus.  
 Reuerendus pater dominus Ioannes Iacobus Barenfis.  
 Reuerendus pater dominus Ioannes Vincentius Senensis.  
 Reuerendus pater dominus Aldronandinus Nicosienfis.  
 Reuerendus pater dominus Bernardus Spalatenfis.  
 Reuerendus pater dominus Antonius Auenionensis.  
 Reuerendus pater dominus Hieronymus Antimariensis.  
 Reuerendus pater dominus Mauricius Tuanienfis.  
 Reuerendus pater dominus Ieremias Tranensis.  
 Reuerendus pater dominus Andreas Noboniafienfis.

*Episcopi.*

Reuerendus pater dominus Iacobus Potentinus.  
 Reuerendus pater dominus Ioannes Baptista Caualicenfis.  
 Reuerendus pater dominus Galasius Bellunenfis.  
 Reuerendus pater dominus Albertinus Pisaurienfis.  
 Reuerendus pater dominus Octavianus Viterbiensis.  
 Reuerendus pater dominus Ioannes Antonius Calenenfis.  
 Reuerendus pater dominus Franciscus Ortanus.  
 Reuerendus pater dominus Latinus Vestanus.  
 Reuerendus pater dominus Ioannes Aquilanus.  
 Reuerendus pater dominus Galasius Sarfinatenfis.  
 Reuerendus pater dominus Iacobus Signinus.  
 Reuerendus pater dominus Altobellus Polenfis.  
 Reuerendus pater dominus Andreas Miletenfis.  
 Reuerendus pater dominus Iacobus Paphenfis.  
 Reuerendus pater dominus Simon Ariminensis.  
 Reuerendus pater dominus Bernardus Taruifinus.  
 Reuerendus pater dominus Ludouicus Tricaricenfis.

ANNO  
CHRISTI  
1512

ANNO  
CHRISTI  
1512.

Reuerendus pater dominus Alexius Melfitanus.  
Reuerendus pater dominus Iosue Esculanus.  
Reuerendus pater dominus Thomas Ceruensis.  
Reuerendus pater dominus Ioannes Baptista Marianensis.  
Reuerendus pater dominus Franciscus Milopotamienfis.  
Reuerendus pater dominus Raphael Crapitanensis.  
Reuerendus pater dominus Franciscus Bisignianensis.  
Reuerendus pater dominus Matthæus Vmbriatinensis.  
Reuerendus pater dominus Ferdinandus Balneoregionensis.  
Reuerendus pater dominus Petrus Algarensis.  
Reuerendus pater dominus Benedictus Chienfis.  
Reuerendus pater dominus Bernardinus Castrenfis.  
Reuerendus pater dominus Petrus Castelli maris.  
Reuerendus pater dominus Aloysius Interamnenfis.  
Reuerendus pater dominus Guillelmus Cortonenfis.  
Reuerendus pater dominus Nicolaus Neocastrenfis.  
Reuerendus pater dominus Ioannes Tudensis.  
Reuerendus pater dominus Vincentius Launensis.  
Reuerendus pater dominus Michael Monopolitanus.  
Reuerendus pater dominus Dominicus Aquensis.  
Reuerendus pater dominus Gilbertus Rapollanus.  
Reuerendus pater dominus Ioannes Bouinensis.  
Reuerendus pater dominus Georgius Calliensis,  
Reuerendus pater dominus Iacobus Marficanus.  
Reuerendus pater dominus Lambertus Venusinus.  
Reuerendus pater dominus Simon Modrusiensis.  
Reuerendus pater dominus Ioannes Antonius Anglonensis.  
Reuerendus pater dominus Zacharias Terracinensis.  
Reuerendus pater dominus Ioannes Franciscus Nolanus.  
Reuerendus pater dominus Corradus Astunenfis.  
Reuerendus pater dominus Hieronymus Ilcinensis.  
Reuerendus pater dominus Michael Mordaniensis.  
Reuerendus pater dominus Hugolinus Liciensis.  
Reuerendus pater dominus Dominicus Lucerinus.  
Reuerendus pater dominus Hieronymus Aretinus.  
Reuerendus pater dominus Bernardus Soranus.  
Reuerendus pater dominus Tranquillus Ferentinus.  
Reuerendus pater dominus Carolus Montis regalis.  
Reuerendus pater dominus Siluefter Nigorinensis.  
Reuerendus pater dominus Gaspar sanctæ Iustæ.  
Reuerendus pater dominus Marcus Vrgentinus.  
Reuerendus pater dominus Ferdinandus Scalenfis.  
Reuerendus pater dominus Antonius Vrbinatenfis.  
Reuerendus pater dominus Raphael Grossetanus.  
Reuerendus pater dominus Matthæus Bethelenensis.  
Reuerendus pater dominus Petrus Narniensis.  
Reuerendus pater dominus Iacobus ciuitatis Ducalis.

*Abbates.*

Reuerendus pater dominus Antonius abbas monasterii sancti Galgani ordinis Cisterciensis, Vulteranensis diocesis.

Reuerendus pater dominus Guillelmus abbas monasterii beatæ Mariæ Britonis.

*Magistri generales ordinum.*

Magister Thomas Caietanus generalis ordinis Prædicatorum.

Magister Demetrius ordinis Minorum vicarius.

Magister Ægidius generalis ordinis eremitarum sancti Augustini.

Magister Bernardus vicarius ordinis beatæ Mariæ de Monte Carmelo.

*Senator Urbis.*

Magnificus dominus Petrus de Starcelupis Florentinus.

*Oratores.*

Magnificus dominus Hieronymus Vich, orator Catholici regis & reginæ Hispaniarum.

Magnificus dominus Franciscus Foscarus eques, orator serenissimi & illustrissimi domini Venetorum.

Magnificus dominus Antonius de Strozis, orator Florentinorum.

*Illustrissimi domini temporales.*

Constantinus dux Macedoniæ.

Illustrissimus dominus Fridericus marchio Mantuanus.

Illustrissimus dominus Iulius de Vrsinis.

Dominus Fabricius de Careto, procurator ordinis sancti Ioannis Hierosolymitani.

Dominus Sixtus de Ruuere prior Urbis, miles ordinis sancti Ioannis Hierosolymitani.

Dominus Petrus Grimanus prior de Hungaria, miles ordinis sancti Ioannis Hierosolymitani.

Excellentis iuris vtriusque doctor, dominus Paulus de Capozuchiis, & nobiles domini Iacobus de Fragapanibus, & Petrus Pauli de Vechis, Urbis almæ conseruatores.

Celebrata Missa per reuerendissimum in Christo patrem dominum Thomam tituli sancti Martini in Montibus, presbyterum cardinalem; facta oratione per reuerendum patrem dominum Thomam Caietanum ordinis Prædicatorum priorem generalem; ascendit ambonem dominus Baltassar Tuerdus, domini nostri papæ secretarius, & legit quoddam mandatum illustrissimi Henrici regis Angliæ, de confederatione cum eodem sanctissimo domi-

ANNO  
CHRISTO  
1512

ANNO  
CHRISTI  
1512.

domino nostro papa : quo perlecto , reuerendus pater dominus Thomas Phadra praefectus bibliothecae sanctissimi domini nostri papae , ac Concilii secretarius , ascendit ambonem , & legit quoddam mandatum Catholici Ferdinandi regis Aragonum , in personam magnifici domini Hieronymi de Vich , ad interessendum & incorporandum ac vniendum se Concilio Lateranensi , cuius tenor talis est.

**MANDATVM REGIS HISPANIAE.**

*Ferdinandus Dei gratia rex Aragonum , Siciliae citra & ultra Pharum , Ierusalem , Valentiae , Maioricarum , Sardiniae & Corsicae , comes Barchinoniae , dux Athenarum & Neopatria , comes Rossilionis & Ceritaniae , marchio Oristani & Gotiani , nec non administrator & gubernator regnorum Castellae , Legionis , Granatae , &c. pro serenissima & potentissima regina Joanna filia nostra carissima , cuius personae & bonorum curam gerimus , vniuersis & singulis praesentium seriem inspecturis .*

Notum facimus , quod licet nos cum primum intelleximus , sanctissimum ac beatissimum dominum nostrum Iulium diuina prouidentia papam secundum , pro defendenda sanctae Romanae ecclesiae indiuisibili vnitae , schismaticum haeresumque pullulatione secanda , morum vniuersali reformatione , & sanctissima contra infideles & sacrosanctae fidei catholicae hostes \* obeunda , Concilium Lateranense conuocasse , proposuerimus , & tota mente ac totis viribus nostrae praefatae ecclesiae & summi pontificis monitionibus facere satis : multo tamen acrius solliciti sumus , posteaquam venerabilis & dilectus noster vtriusque iuris doctor Guillelmus Cacador caufarum sacri palatii auditor , & eiusdem sanctitatis capellanus & nuntius ad hoc specialiter destinatus , ad nos & alios Christianos principes missus , publice atque palam insinuauit dicti sacri Lateranensis Concilii conuocationem , & schismatici Pisani continuationem , esse ecclesiae vnicae Romanae scissuram , & nauiculae Petri fluctuationem , quod in causa tam ardua prouidendum sit : quandoquidem tuitionem & propugnationem ecclesiae , licet requisiti , sponte tamen & gratuite suscepimus , ne Dei optimi maximi honorem negligere videremur . Profitemur enim nos filium eiusdem sanctae Romanae ecclesiae matris nostrae de-

\* f. expeditio

ditissimum, proque eius honore atque statu animam ponere paratissimum. Cum igitur præfata sacrosancta Romana ecclesia innitatur tam sanctum, tam salubre atque laudabile propositum prosequi atque perficere, ut <sup>\* se-</sup> <sup>\* fides</sup> des catholica non modo conseruetur & manuteneatur, sed etiam augeatur, & Mahumetana secta eneruetur, cuius rei nos impulsores atque effectores, Deo auctore, semper extitimus; operæ precium arbitramur, ut ea omnia pro portione nos contingente præparemus, quæ dicto sacro Lateranensi Concilio consentanea & opportuna fore videantur. Quapropter fidem, constantiam, sagacitatem, atque agibilibus experimentum nostri magnifici & dilecti consilarii Hieronymi de Vich, nostri in Romana curia oratoris, haud paruifacientes, non tamen in præiudicium, nouationem, seu derogationem quarumvis potestatum per nos vobis hæcenus tributarum, sed illis potius addendo & accrescendo, eis quidem melioribus, validioribus & efficacioribus via, modo, iure & causa, quibus facere possumus & debemus, facimus, constituimus, creamus, deputamus, & solenniter ordinamus, nostrum & dictæ serenissimæ Ioannæ reginæ filia nostræ carissimæ verum, certum, legitimum & indubitatum procuratorem, factorem, negotiorumque infra scriptorum gestorem, ac nuntium specialem & generalem, ita quod specialitas generalitati non deroget, nec e contra; videlicet vos eundem Hieronymum de Vich oratorem nostrum, licet absentem tamquam præsentem, ad interessendum videlicet, consentiendum, dissentiendum, protestandum, ac fieri requirendum, pro nobis dictis nominibus, proque dicta serenissima regina Ioanna filia nostra carissima, regnisque atque dominiis & populis ditioni vtriusque nostrum subiectis, omnia & singula quæ præparationi celebrationis dicti sacri Lateranensis Concilii opportuna, suffragantia, conducibilia & conuenientia sint, & sine quibus illud commode celebrari non posset, nec non dicti schismatici, perniciosi, Pisani Conciliabuli impeditiua, refragantia, & ad nullitatem in eo attentatorum, seu attentandorum tendentia, ne illud longius procedat, sed tamquam iniuria, perperam & inique congregatum, dissoluatur & euanescat, & perniciosissimum schi-

ANNO  
CHRISTI  
1512.

ma fugetur & tollatur; comparendumque atque interef-  
sendum, dum tempus adfuerit, eisdem nominibus in di-  
cto sacro Lateranensi Concilio, & in omnibus actis &  
processu eiusdem, ibique obedientiam debitam præfato  
beatissimo domino nostro papæ toties, quoties opportu-  
num fuerit, præstandum & recensendum, confitendum-  
que atque recognoscendum, eundem dominum Iulium  
papam secundum esse verum, vnicum, canonicum & in-  
dubitatum pontificem, & dominici gregis pastorem: &  
in eodem sacro Lateranensi Concilio dicendum, propo-  
nendum, tractandum, vouendumque dictis nominibus,  
& vtrouis eorum, omnia & quæcumque inchoationi,  
celebrationi, continuationi & conclusioni dicti sacri La-  
teranensis Concilii, & quæ in eo proponuntur & tracta-  
buntur, vnionique & indiuiduitati dictæ sanctæ Roma-  
næ ecclesiæ matris nostræ & membrorum eius, nec non  
morum vniuersali reformationi, & dicti perniciosissimi  
schismatis nullitati & extinctioni, fideique augmento, &  
sanctissimæ atque catholicæ ligæ nuper inita conserua-  
tioni & implemento, atque præfata, iamdiu est, a nobis  
optata, inceptæque in hostes eiusdem fidei expeditioni  
necessaria, seu etiam opportuna, & sine quibus ea com-  
mode fieri seu perfici nequirent. Et quoniam multa eo-  
rum verisimiliter in dies occurrere possunt, quæ nobis ad  
præsens minime occurrunt, exprimi & specificari ad va-  
lidentiam actorum, seu agendorum necessaria, & sine  
quorum expressione forte de iure non tenerent, de qui-  
bus si notitiam informationemque haberemus, ea omnia  
exprimere non omitteremus, prouidere volentes, ne ip-  
sa expressio per nos præsentibus non facta vllum incom-  
modum tantæ rei propter loci distantiam pareret, seu  
causaret, vobis potestatem tribuimus, ea omnia huic no-  
stro mandato dictis nominibus & vtrouis eorum, de pe-  
ritorum consilio addendi, exprimendique per quoscum-  
que notarios atque tabelliones, inde per vos requiren-  
dos, secundum eorum stylum adiicienda, annotanda seu  
extendenda, iuxta occurrentium qualitatem & exigen-  
tiam negotiorum & rerum de quibus supra. Quæ omnia &  
singula per vos, vt præfertur, extendenda & declaranda,  
illam vim illudque robur habere volumus, quam habe-



rent, si per nos extensa & declarata presentibus extitissent, & pro omnibus & singulis supradictis quacumque iuramenta de secreto seruando, & alia nomine nostro & in animam nostram praestandi & subeundi, omniaque & quacumque instrumenta necessaria & opportuna cum pactis, pactionibus, stipulationibus bonorum nostrorum & dictae serenissimae reginae filiae nostrae carissimae, obligationibus, renuntiationibus, iuramentis, clausulis & cautelis necessariis, vtilibus, seu etiam opportunis, faciendi & seruandi, firmandi seu concedendi generaliter, & omnia alia peragendi, quae in praedictis & circa praedicta necessaria & vtilia sint, seu etiam opportuna, etiam si talia forent, quae mandatum specialius exigerent, quam praesentibus est insertum, & sine quibus ea fieri nequissent, quae nos dictis nominibus faceremus seu facere possemus, si adessemus. Nos enim supradictis nominibus, & vtrouis eorum nomine, in & super praedictis omnibus & singulis, cum suis incidentibus, dependentibus & emergentibus, annexis & connexis, committimus atque conferimus vobis eidem procuratori, nuntio & oratori nostro plenarias vices nostras, cum omnimoda & indefectura facultate, ratum, gratum, validum atque firmum perpetuo habituri, quibus supra nominibus, totum id, & quidquid & quantum in praedictis & circa ea & quodlibet eorundem procuratum & actum fuerit, siue gestum, & nunquam reuocaturi, sub bonorum & iurium nostrorum & dictae serenissimae reginae Ioannae filiae nostrae carissimae respectiue omnium hypotheca, & sub omnis iuris & facti renuntiatione ad haec necessaria, pariter & cautela. In quorum fidem & testimonium praesentes fieri iussimus, manu propria subsignatas, sigilloque nostro impendente munitas.

Datum Burgis, die secunda mensis Decembris, anno a natiuitate Domini millesimo quingentesimo vndecimo.

Yo el Rey.

Dominus rex mandauit mihi  
Michaeli Perez Daluiacan.

Quo perlecto, dictis orationibus & litiis more solito, praestitaque solita & consueta obedientia per cardinales & praelatos sanctissimo domino nostro papa, & bene-

ANNO  
CHRISTII  
1512

ANNO  
CHRISTI  
1512.

dicto Concilio, cantatoque euangelio per reuerendissimum dominum Ludouicum sanctæ Mariæ in Cosmedin diaconum cardinalem de Aragonia, quod incipit: *Attendite a falsis prophetis*: idem sanctissimus dominus noster incepit hymnum, Veni creator, &c. Quo finito per cantores, reuerendus pater dominus Bernardus archiepiscopus Spalatensis ascendit ambonem, & legit quamdam schedulam tenoris infra scripti.

BVLLA SECVNDÆ SESSIONIS SACRI  
generalis Concilii Lateranensis.

*Iulius episcopus seruus seruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.*

Sacro approbante Concilio, cum inchoatam huius sacri Lateranensis Concilii celebrationem, ad Dei laudem, vniuersalis ecclesiæ pacem, fidelium vnionem, schismatis & hæresum euerisionem, morum reformationem, ac contra perfidos fidei hostes expeditionem, Altissimi dextera assistente, prosequi intendamus, vt omnium schismaticorum & pacis hostium, latrantium canum ora obtundantur, vniuersique Christi fideles valeant a tam pestifero & venenoso contagio se immaculatos seruare, in hac præfenti secundæ sessione in Spiritu sancto legitime congregata, indictionis, conuocationis & publicationis schismaticæ conuenticulæ, & asserti Conciliabuli Pisani, ad scindendum & scandalizandum ecclesiæ præfate vnionem, emanatarum citationum, monitionum, decretorum, absolutionum, sententiarum, actorum, legatorum, creationum, obedientiarum, subtractionum, assertarum censurarum, appositionum, ipsiusque Conciliabuli translationis ad Mediolanum vel Vercellensem ciuitates, aut alia loca quæcumque, omniumque & singulorum in dicto Conciliabulo gestorum & conclusorum reprobationes, damnationes, reuocationes, cassationes, irritationes & annullationes, per nos habita cum venerabilibus fratribus nostris sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalibus deliberatione matura, & de eorundem fratrum consilio & vnanimi consensu, ac ex certa scientia, & de apostolicæ potestatis plenitudine, per diuersas nostras literas respectiue, præsertim sub data decima quinta Kalendas Augusti, pontificatus nostri anno octa-

uo, ac tertio Nonas Decembris, & Idibus Aprilis, eiusdem pontificatus anno nono editas, factas & emanatas, literasque ipsas cum decretis, declarationibus, inhibitionibus, mandatis, hortationibus, monitionibus, interdictorum ecclesiasticorum appositionibus, & aliis sententiis, censuris & poenis, tam a canonicis sanctionibus, quam a nobis, maxime in literis indictionis huius sacri vniuersalis Concilii, ac omnibus & singulis aliis clausulis in dictis literis contentis, quarum tenores, ac si de verbo ad verbum presentibus infererentur, pro expressis haberi volumus, licet, vt firma & valida, nulla alia confirmatione aut approbatione egerent, ad abundantiore cautelam & veritatis manifestationem, hoc sacro approbante Concilio, confirmamus, approbamus & innouamus, illaque inuiolabiliter obseruari volumus, statuimus & ordinamus, supplentes omnes & singulos defectus, si qui forsitan interuenerint in eisdem. Nec non Conciliabulum praefatum illiusque translationem, ac omnia & singula per ipsum Conciliabulum, illique assistentes, adhaerentes, fautores & consentientes, directe vel indirecte, quomodocumque & qualitercumque a die indictionis ipsius Conciliabuli, vsque in praesentem diem acta, facta, gesta & prolata, ac in posterum gerenda, agenda, facienda & proferenda, etiamsi talia sint vel fuerint, de quibus specialis, specifica, expressa ac indiuidua mentio habenda foret, illorum tenores & qualitates etiam pro expressis habentes, vt alia adulterina & a veritate deuiantia Concilia, & in eis gesta, a iure sacrifque Canonibus damnata & reprobata fuerunt, damnamus & reprobamus, ac prout sunt, nulla, irrita & inania, nulliusque roboris vel momenti fuisse & esse nuntiamus, & quatenus opus sit, cassamus, irritamus & annullamus, ac pro cassis, irritis & annullatis haberi volumus. Et nihilo minus hoc sacrum Concilium œcumenicū iuste, rationaliter, ac ex veris & legitimis causis, riteque & recte indictum celebrari inceptum, omniaque & singula quæ in eo facta & gesta sunt, & de cetero fient ac gerentur, iusta, rationabilia, firma & valida fore, ac idem robur, eamdemque vim, potestatem, auctoritatem & firmitatem habere & obtinere, quæ alia Concilia generalia, praesertim Lateranense, a sacris Canonibus approbata habent & obtinent,

ANNO  
CHRISTI  
1512.

hoc eodem sacro Concilio approbante, decernimus & declaramus. Insuperque temporum dispositione, æstiuisque caloribus instantibus, vt commoditati & valetudini prælatorum consulatur, vltromontanique & trans mare existentes, qui hæctenus ad hoc sacrum Concilium venire non potuerunt, expectentur, propterque alias iustas & rationabiles causas præfato sacro Concilio notas, & ab eo approbatas, tertiam sessionem continuationis celebrationis Concilii præfati, tertio nonas Nouembris proxime futuri faciendam, hoc præfato sacro Concilio similiter approbante, indicimus. Omnibusque & singulis prælati-  
*\* f. nunc* tis, & aliis in eodem Concilio \* tunc existentibus a Romana curia recedendi, & pro eorum voluntate vbi eis placuerit morandi, dummodo dicta tertio nonas Nouembris in præfato Concilio Lateranensi, cessante legitimo impedimento, de quo clare constet, sub pœnarum in literis indictionis ipsius Concilii & canonicis sanctionibus contra non accedentes ad Concilia indictarum incursum, præsentibus existant, licentiam & facultatem, præfato sacro Concilio etiam approbante, concedimus & indulgemus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis, approbationis, innouationis, statuti, ordinationis, suppletionis, damnationis, reprobationis, nuntiationis, cassationis, irritationis, annullationis, voluntatis, decreti, declarationis, indictionis, concessionis & indulti infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri & Pauli apostolorum eius se nouerit incursum.

Datum Romæ in publica sessione in Lateranensi sacrosancta basilica solenniter celebrata, anno incarnationis dominicæ 1512. sextodecimo Kalendas Iunii, pontificatus nostri anno nono.

Postmodum idem reuerendus pater dominus Bernardus archiepiscopus petiit ab omnibus, an placeant paternitatibus suis contenta in scheda. Qui responderunt, & quilibet eorum respondit, placere contenta in scheda. Super quibus omnibus magister Bernardus Mocharus, procurator Concilii, petiit fieri per protonotarios & notarios

ad hoc deputatos publicum & publica, instrumentum  
seu instrumenta.

Deinde reuerendus pater dominus Vincentius Carafa archiepiscopus Neapolitanus, procurator reuerendi patris domini Donati episcopi \* Nefelitani ad interessendum sacro Concilio, dedit quoddam mandatum subscriptum per dominum Iacobum Andream Parlatum ciuem Neapolitanum notarium curiæ archiepiscopalis Neapolitanæ. Et venerabilis vir dominus Franciscus Infart, sollicitator literarum apostolicarum, dedit mandatum reuerendi patris domini Petri de Costa episcopi Portugalensis diœcesis \* publicum notarium, in quo ipse dominus Franciscus principaliter nominatur ad interessendum sacro Concilio. Et reuerendus pater dominus Ioannes Baptista episcopus Caualicensis, procurator reuerendi patris domini Hieronymi Palauicini episcopi Aleriensis, dedit mandatum eiusdem ad interessendum dicto Concilio, subscriptum per dominum Luchinum de Belganderio & Balauic laicum Marianensem publicum notarium, & sigillatum sigillo præfati episcopi Aleriensis. Ac reuerendus pater dominus Gisbertus episcopus Rapolanus dedit mandatum procurationis reuerendi patris domini Ioannis Baptistæ episcopi \* Fanensis, subscriptum per dominum Malatestam Thomasinum publicum notarium, & sigillatum sigillo dicti episcopi. Et venerabilis vir dominus Petrus Perini, affertus procurator reuerendi patris domini Aynionis episcopi Lausanensis, dedit mandatum eiusdem ad interessendum Concilio, subscriptum per dominum Perret, & sigillatum sigillo dicti domini episcopi. Et reuerendissimus in Christo pater & dominus, dominus Achilles tituli sancti Sixti presbyter cardinalis Bononiensis vulgariter nuncupatus, dedit mandatum reuerendi domini Ioannis de Sclusa abbatis Præmonstratensis, vt totius ordinis iudicis superioris & reformatoris generalis, subscriptum per dominum Ioannem Ray canonicum ecclesiæ collegiæ sancti Quintini, de sancto Quintino Nouiomensis diœcesis, publicum notarium.

Anno a natiuitate Domini 1512. indictione decimaquinta, pontificatus præfati sanctissimi domini nostri Iulii papæ secundi anno nono, die vltima mensis Octobris, per discretum

ANNO  
CHRISTI  
1512.

cretum virum Bartholomæum de Mantua, præfati sanctissimi domini nostri papæ curforem, affixæ fuerunt & publicata in basilicarum principis apostolorum de Vrbe, & sancti Ioannis Lateranensis valuis seu portis, nec non cancellariæ apostolicæ, & acie campi Floræ, certæ literæ prorogationis tertie sessionis propter aduentum reuerendi & illustris domini Matthæi electi Gurcensis, serenissimi Maximiliani electi imperatoris locumtenentis, vsque ad tertium diem mensis Decembris proxime futuri, prout in eisdem literis continetur, quarum tenor sequitur.

PROROGATIO SESSIONIS PROPTER  
aduentum Gurcensis.

*Iulius episcopus seruus seruorum Dei.*

CVPIENTES ingenti desiderio ad omnipotentis Dei gloriam, plurimorumque optimorum operum perfectionem, alias inchoatam sacri Lateranensis Concilii celebrationem profequi, in secunda sessione in Spiritu sancto legitime congregata, vt temporum indispositione, æstiuisque caloribus instantibus, commoditati & valetudini prælatorum opportune consulere, vltromontanique & trans mare existentes, qui eatenus ad Concilium huiusmodi venire non poterant, expectarentur: propterque alias iustas & rationabiles causas dicto Concilio notas, & ab eo approbatas, tertiam sessionem continuationis celebrationis præfata, tertio Nonas Nouembris proxime futuri faciendam, sub data xvi. Kalendas Iunii, pontificatus nostri anno nono, indiximus: sperantes tunc Deo duce, ac Christianorum regum & principum ope, Italicis & exteris rebus pacatis, prælatos præfatos tutis itineribus cum quiete ad ipsum Concilium venturos, nullumque aliud impedimentum inesse, quo minus tertia sessio huiusmodi die, vt præfertur, indicta haberi potuisset. Cum autem satore zizanix instigante, & nonnullorum malignitate, qui Christianorum nomen in vanum recipere non formidant, bella atrocia tam in Italia quam extra eam viguerint & vigeant, dictique prælati Germani, Hispani, Anglici, Poloni & alii, propter hostium pericula tute adhuc accedere non potuerint, nu-

perrimeque venerabilis frater noster Matthæus episcopus Gurcensis, carissimi in Christo filii nostri Maximiliani Romanorum regis in imperatorem electi in tota Italia locumtenens generalis, & ad nos orator destinatus, prope urbem ad illam venturus sit, cum quo multa <sup>\* gravis</sup> grauius <sup>importantia</sup> & magni ponderis, statum & quietem ecclesiæ, principum Christianorum & Italiæ concernentia, præsertim de pace inter ipsum Maximilianum regem & dilectum filium Leonardum Lauredanum Venetorum ducem, quæ nobis cordi est, componenda, agenda sint: ex quorum conclusione vniuersalem pacem, aliaque innumerabilia bona ex eorum auctoritate <sup>\* significamus</sup>, intermissione vero grauiora prioribus scandala, damnaque intolerabilia futura <sup>\* f. timemus</sup>, dilationemque indictæ sessionis ad paucos dies, <sup>\* f. relatum</sup> nedum præiudicium, sed vtilitatem allaturam arbitramur. Idcirco vt sine perturbatione aliqua continuationi celebrationis tam celeberrimi & necessarij Concilij insistere valeamus, prælatisque & oratoribus principum ad dictum sacrum Concilium venturis, in itinere existentibus, vt accepimus, aliqua vltior dilatio concedatur, dictusque venerabilis frater Matthæus episcopus Gurcensis Cæsareæ maiestatis locumtenens & orator, circa diem ipsam celebrationis tertiæ sessionis, & forte ipsa die vel sequenti aliam Urbem est ingressurus, & de nostro mandato ob personam quam gerit & repræsentat, honorifice excipiendus sit, & cum solitis ceremoniis & curiæ Romanæ comitiua associandus, & ad nos deducendus, qui cum omni celeritate desiderare videtur expeditionem negotiorum sibi commissorum, vt infra paucos dies ex vrbe recedere possit: habita super his cum venerabilibus fratribus nostris sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalibus deliberatione matura, expressis aliisque iustis & rationabilibus causis vrgentibus, de eorumdem cardinalium consilio vnanimique consensu, tertiam sessionem, continuationem, celebrationem Concilij præfati ad tertium Nonas Decembris similiter proxime futuri, ceterisque in indictione Concilij, & in secunda sessione præfatis contentis, firmis manentibus, prorogamus, & iudicibus præmissis, ceterisque contrariis non obstantibus quibuscumque, prout semper desidera-

ANNO  
CHRISTI  
1511.\* gravis  
importantia

\* significamus

\* f. timemus

\* f. relatum

ANNO CHRISTI 1512. uimus, feliciter incepimus, & Domino adiuuante omnino perficere intendimus.

Placet, & publicetur.

Anno a natiuitate Domini 1512. indictione decimaquinta, pontificatus sanctissimi in Christo patris & domini nostri, domini Iulii diuina prouidentia papæ secundi anno nono, vltima mensis Octobris, præsentis suprascriptæ literæ sanctissimi domini nostri papæ, prout in eisdem continentur, affixæ & publicatæ fuerunt in basilicarum principis apostolorum de Vrbe, & sancti Ioannis Lateranensis, valuis seu portis, nec non cancellariæ apostolicæ in acie campi Floræ; & sic affixas per longum temporis spatium dimisi: copiam earundem literarum in locis suprascriptis affixi, & affixam dimisi, per me Bartholomæum de Mantua, sanctissimi domini nostri papæ curforem.

*Reuerendissimo in Christo patri & domino, domino Thomæ sanctæ Romanæ ecclesiæ tituli sancti Martini in montibus presbytero cardinali Strigoniensi, procurator ordinis Prædicatorum seruus salutem dicit.*

Ad xvii. Kalendas Iunii, qui dies secundam Concilii sessionem in æde præbuit Lateranensi, cum alia habuimus illius solennis & sacratissimæ lucis grata monumenta, tum illud maximum, quod tu eodem die ac loco Romæ tum primum diuinas res publice peregisti, magna quidem apud Deum, vt credimus, ob tuam virtutem gratia, sed non minore apud homines ob virtutis opinionem laude & existimatione. Quamquam enim tuum nomen vbi que apud omnes probatum sit ac clarum, Romæ tamen apud bonos & graues clarissimum certe & probatissimum est. Eo itaque die, quo de rerum summa grauiter constituendum erat, Conciliumque ipsum, patrum sententia, in aliud tempus differendum, cum rite a te & sancte mysteria sanctissima celebrata essent, tum pulpitem, vt scis, ascendit meus & totius Prædicantium ordinis generalis magister, vir tum religione & doctrina singulari, tum præstanti excellentia animi atque ingenii. Quod quidem quasi geometricam quamdam videtur habuisse rationem, vt ille sui ordinis primus secundæ sessionis orationem pronuntiauerit, tu secundi ordinis in senatu



princeps, primis in hac vrbe mysteriis publice fueris initiatus. Verum cum hæc ipsa oratio diues optimarum sententiarum & luculenta, digna a summo pontifice iudicaretur, quæ in acta referretur, multique illam boni viri quotidie efflagitarent, operæ precium fore duxi, si ego qui Prædicatorum ordinis hic res curo, eandem orationem, priusquam ab aliis legeretur, tibi potissimum dedicarem. Feci igitur, & perquam libenter feci, vt & illa tui nominis inscriptione illustrata, maiore auctoritate in publicum prodiret, tantique viri præsidio esset munitior, & meæ erga te obseruantia ac venerationis magnitudo hoc primo testimonio tibi innotesceret. Sed & aptum visum est, cum illius diei ceremonias coniunctim egissetis, vt non separatim in ora hominum perueniretis, quamquam tua virtus & auctoritas multo maioribus & grauioribus rebus celebritatem promerita est. Scimus enim, tuus in urbem aduentus quantam spem lætitiæque bonis omnibus attulerit, qui pacem quidem & salutem continue optant, bellum autem diuturnum & infestum coguntur sustinere. Subit namque multos qui virtutes amant, qui tuo exemplo crudelia bella abhorrent, qui Christianæ fidei infidelibus armis infestissimi sunt: subit illos, puto, fastidium incredibile, cum videant huiusce temporis scelera & ruinas. Quis enim non stomachetur, vacare Christianos intestinis dissensionibus, pace toties attentata, nunquam vero firmata, elapsamque e manibus fuisse occasionem retinendæ Africæ, Græciæ atque Asiæ in libertatem & religionem vindicandæ. Ad quam Christianorum vecordiam ne forte putemus Deum dormire, omitto reliqua quæ domestica sunt. Ecce nuper Turcarum rex senex, inualidus, & imperio, & pecunia, & exercitibus cessit, præter omnium opinionem, filio ætate tertio, iuueni ferocissimo, & Christiani sanguinis appetentissimo, qui magno donatio conciliatis sibi militum animis, additisque ad fœdus suum Scythicis nationibus, nihil non ausurus breui timetur. Iure hoc quidem optimo factum est, vt Christiani qui oblatam occasionem iustitiæ atque laudis contempserunt, quique nuper recuperatam fere Africam totam iterum canibus illis abripiendam deuorandamque obiiciunt. Iuste, inquam, factum est, vt ii quan-

ANNO  
CHRISTI  
1512.

doque de præfenti suo imperio trepidare cogantur, qui imperium Christi nec amplificare student, nec defendere: quin illud potius & vitiis oppugnare, & labefactare diffensionibus non verentur. Sed de iis satis. Melius enim longe tu quam ego, aut quisquam, hæc nosti & cogitasti, quippe qui a puero acceptas contra Turcas inimicitias, & ab incunabulis susceptam sacratissimæ fidei tutelam & defensionem, adhuc perpetuam retinuisti. Proptereaque in hanc urbem venisti, vt pacatis vniuersis, non solum iis partibus quæ fidei sunt, consuleres, sed etiam illis quæ infidelitatem & discordiam alunt, vehementissime te opponeres. Sed redeo ad orationem, quæ mihi cum doctissima videtur esse, tum ita largiter ampla, vt non tantum quæ præfentis Concilii sunt, sed omnium Conciliorum vim, auctoritatem rationemque amplexa videatur. Quam cum tua amplitudo benigno vultu acceperit, existimabimus magnum & illi ornamentum, & nostro ordini vniuerso ex tua benevolentia accessisse. Vale.

*Oratio reuerendi patris, fratris Thomæ de Vio Caietani, sacre theologiæ professoris, ac totius ordinis Prædicatorum generalis magistri, habita Romæ in secunda sessione Concilii Lateranensis, decimosextimo Kalendas Iunii 1512.*

Cum animaduertam, Iuli secunde pontifex maxime, reliquas omnes ecclesiasticæ reipublicæ consuetudines actionesque singulas esse singulis ecclesiæ partibus accommodatas, generales vero Synodos vniuersalem ecclesiam penitus respicere, eamque tamquam finem sibi proprium attendere, existimaui me facturum rem & vtilem & omnibus gratam, si hodierno die primum de ecclesia ipsa, deinde de Synodis huius temporis, illarumque differentia ac diuersitate dicerem. Sed cum iis diebus ex hoc loco viri doctissimi, qui hoc oratorio munere magna cum laude perfuncti sunt, de iis fere rebus verba grauiter sapienterque fecerint, ego, qui ingenio illis & doctrina inferior sum, quo meis viribus minus confido, pater sancte, eo humiliter atque propensius tuam humanitatem & clementiam mihi propitiam esse & summisse oro, & suppliciter peto. Sed quoniam nihil est, quod homo de semet-

ipſo ſine auxilio opeque diuina poſſit polliceri, ad glorioſam ipſam virginem Dei matrem primum conuertam orationem meam. Aue Maria, &c.

Apoc. 21.

Cum dilectus Chriſti diſcipulus & euangelista multa nobis ex prophetica illa myſticaque viſione nuntiare inſtituiſſet, de Deo, de agno, de Dei agniſque gloria, deque venturis præteritiſque temporibus ac rebus diuinitus retulit, atque is etiam Chriſtianam rempublicam & eccleſiam contemplatus, in hunc modum ipſe, aut per ipſum potius ſanctus Spiritus locutus eſt: *Vidi ciuitatem ſanctam Ieruſalem nouam deſcendentem de cælo.* Magna profecto & diuina, maximaque inſuper, atque omnem humanæ rationis terminum exuperantia Ioannes vidit. Vidi, inquit, ciuitatem, vidi ſanctam, vidi Ieruſalem, vidi illam nouam ac de cælo deſcendentem. Quæ eſt iſta ciuitas, quam Ioannes vidit? Quæ eſt iſta, quam magiſter diſcipulo, Chriſtus apoſtolo, Spiritus ſanctus euangelix ac vati figuris & allegoriis reuelauit? Certe ciuitas hæc Chriſtianæ reipublicæ vrbs eſt, quæ non vallo aliquo terreno, non caduco murorum mœniumque ambitu cinctæ eſt, ſed multitudine copiaque innumerabili clauſa eſt ac permunita. Quamquam enim huius mundanæ ſapien-tiæ antiſtites certo quodam & præſcripto ciuium numero ciuitates conſtitui oportere arbitrati ſint, nimiamque & nimis late diffuſam multitudinem ſubmouerint, neque inter centies centena millia, vt ipſi aiunt, commercium fieri poſſe vllum exiſtimauerint, ſolum tamen Chriſtianum genus tanta tamque mirabili a Deo optimo maximo cognationis, neceſſitudinis, ſocietatiſque copula deuinctum ac coniunctum eſt, vt in vnitæte maximam multitudinem, vnius vrbs ambitu ſpatium ampliſſimum, in vna denique ciuitate totum terrarum orbem complectatur. Nam cum in condenda & conſtituenda qualibet ciuitate duo in primis requirantur; primum, vt partibus ſuis omnibus ipſa conſtituatur reſpublica; deinde, vt ex partes inter ſeſe ciuili amicitia quadam & conſenſione conſpirent; licet cognoscere, quomodo priuatis publiciſque in rebus, ambabus iis partibus noſtra hæc Chriſtiana ciuitas excellat. Quod enim ea partes omnes perfectiſſimæ reipublicæ habeat atque contineat,

ANNO  
CHRISTI  
1512.

ea in primis sacra, quæ sacramenta appellamus, ostendunt, quæ tantæ sunt efficaciam & virtutis, partim vt hominum generationes matrimonio propagent, partim Deo filios baptisate vt gignant, tum vt genitos communicatione corporis Christi alant & vegetent, deinde diuina chrisimatis virtute corroborent: vbi corroborauerint, potestate atque auctoritate ecclesiasticis ordinibus augeant: mox aliquo errore lapsos confessione restituant, & postremo, humanis culpis abluendis, sancti olei vnctione perungant. Præter hæc autem diuina & præclara munera, multa habet alia hæc ciuitas cumulatissime. Habet namque apostolos, habet euangelistas, habet prophetas, habet pastores, doctores, martyres: habet sermones scientiæ, sermones sapientiæ, genera linguarum, interpretationes sermonum, discretionem spirituum, gratiam sanitarum, fidem, vaticinia, miracula, & eam cælum claudendi rursusque aperiendi potestatem, vt quidquid in terris ligauerit, quidquid soluerit denique, id continuo in cælo dissolutum vel ligatum sit. Et quamquam hæc magna maximaque sint, satis tamen non fuit, tot tantaque ecclesiam habuisse, nisi & angelorum reuelationes, illuminationes, defensionesque habuisset. Quibus omnibus actionis nostræ contemplationisque studia non tueri modo ac defendere, sed propensius etiam & augere & ornare & perficere conatur. Ciuitas igitur hæc diuina illis reipublicæ partibus illustratur, quibus nulla vnquam alia vel melioribus vel ornatioribus illustrata est. Quod autem ciues ipsi arctius in hac, copulatusque quam in ciuili alia communitate deuinciantur, vel hinc patet manifeste, quod ii non iam ciues sunt aut aduenæ, sed ciues sanctorum, sed domestici Dei, sed membra Christi, & ita vnus eiusdemque mystici corporis membra, vt alii aliis & membra sint, & quemadmodum sunt, mutua sese communicatione ac societate confoueat. Cum igitur hæc ciuitas ex perfectissimæ reipublicæ partibus perfectissimis constituatur, ipsiusque ciues interiore & cognatiore quam omnes aliæ societates genere colligentur; patet certe, hanc urbem aliis esse digniorem, perfectiorem, excellentiorem, ipsamque præstare omnibus honore, decore, & quod maximum

est, humana beatitudine ac felicitate. Quamquam enim cuiusvis ciuitatis proprium esse videatur, sufficienter ex se, beneque ac beate viuere, nulla tamen alia, nisi hæc nostra, hoc ipsum habere cumulate ac largiter potest, sed ne imitari quidem. In aliis namque finis ciuilitatis & societatis est, optima inter se hominum coniunctio: in hac vero nostra, in qua heredes Dei omnes, coheredes autem Christi sunt, ad Deum ipsum, ut proprium Christiani generis finem, cuncta referuntur. Hæc cum ita sint, recte Christi ecclesia non tam ciuitas ab Apostolo Christi, quam ciuitas sancta a viro sanctissimo commemoratur. Id autem, patres, ut nunc vos alloquar, mox extrema oratione ad hunc summum pontificem caput omnium reuersurus, id, inquam, patres, qua & ego quoque ratione demonstrauero, quaeso, intelligite. Sanctitas ipsa, ut a definitione incipiamus, utque Dionysio Areopagita placet, immaculata, libera, perfecta que munditia est. Proinde tamen hoc summis antiquorum, nostrorumque rationibus firmatum sit, in Deo vniuersorum auctore & gubernatore omnium rerum naturas, excellentias dignitatesque consistere: Deus tamen ipse præ iis omnibus propriam ita sibi vendicat sanctitatem, ut etiam summi philosophi Dei substantiam munditia & sanctitate definirent. Nam cum inuisibilia Dei per ea quæ facta sunt, sempiternam quoque eius virtutem ac diuinitatem intellectu conspicerent, vellentque Dei naturam & voluntatem, ac quidquid in Deo est, vnica, aliisque rebus incommunicabili proprietate exprimere, non virtutis quidem, non diuinitatis, aut reliquis tanta maiestati consentaneis nominibus vsi sunt, sed munditiæ & sanctitatis significationibus. Solam enim deitatis substantiam a totius potentiae macula & labe liberam remotamque esse perpendicularis, illamque ob id esse dicentes actum purum, eandem certe ipsam definitione hac mundissimam esse sanctissimamque dixerunt. Nec mirum, si talis tantaque sanctitas tantum in mentibus hominum & numinis habuit & maiestatis, quandoquidem intelligentiis etiam beatis, quas angelos dicimus, hymnum carmenque Deo proprium constituat. Angeli namque atque archangeli, cherubim quoque & seraphim, repe-

ANNO  
CHRISTI  
1511.

repetitis ingeminatisque vocibus, *Sanctus, sanctus, sanctus*, 112. 6.  
proclamant. Quo fit, vt Dei quoque ciuitatem, in qua  
magnus Dominus est, deceat sanctitudo. Atque hanc  
partem quæ paucis demonstrari potest, breuissime osten-  
dam. Omnibus rebus tum natura, tum arte constitutis,  
hoc principio attributum ingeneratumque est, vt cum  
alia aliis iungendæ sint, pari mutuaque dispositione ac  
similitudine conueniant. Hoc ipsæ formæ, secundum ma-  
teriæ recipientis merita distributæ, testantur. Hoc ad  
propria peculiariaque munera obeunda aptæ apposi-  
tæque nostrorum membrorum habitudines manifestant.  
Denique hoc confirmant innatæ materiis ipsis, vt ita di-  
cam, patientiæ, quibus ipsæ res hominum artificio sub-  
iectæ obtemperant. Hæc namque omnia & reliqua id  
genus, siue natura, siue arte componenda sint, nisi pri-  
mum amica inter se consensione conueniant, componi  
coniungive non possunt. Cum igitur sanctitas & mundi-  
tia propria Deo sit, illique conueniat maxime; cumque  
coniungendas res ipsas habiles inter sese ad coniunctio-  
nem esse oporteat, nemini dubium est, puto, ecclesiasti-  
cam ciuitatem, quæ Deo coniunctissima est, puram,  
mundam, sanctam immaculatamque existere. Veritate  
etenim prima, qua confirmatur, ac in qua fundatur, &  
errorum omnium expers pura mente perseuerat, & dile-  
ctione perpetua, qua ipsa in Christo & Christus in ipsa  
manet vsque ad sæculi consummationem, ab omni vitio-  
rum sorde & contagione remota est, atque ita virtute  
bonitateque perficitur ac vallatur, vt neque mors, ne-  
que vita, neque instantia, neque futura, neque altitu-  
do, neque profundum, neque creatura alia illam possit a  
Christi amore separare. Recte igitur ciuitas hæc nostra,  
quandoquidem omnium cælestium virtutum præcipua a  
Deo pollet sanctitate, omnibus ea ceteris mundi dignita-  
tibus, potestatibus, imperiis antecellit. Satis esse arbitror  
huius ciuitatis demonstratam sanctitatem: quæ ciuitas  
quia sancta est, iure optimo a sancto Spiritu nomen illi im-  
positum est præclarissimum. Is enim hanc sanctam ciuita-  
tem Ierusalem appellauit. Quod profecto nomen ob hanc  
causam adepta est, quod Ierusalem non modo pacem ip-  
sam, sed ea etiam quæ pacis sunt, innuere, sanctorum inter-

pretatione tradatur. Tria igitur in hoc sunt. Nam & hoc Ierusalem atque pacis optimum est, & id verum huius ciuitatis nomen, & postremo huic ciuitati ita proprium, vt nulli præterea alteri vere conuenire possit. Optimum certe est. Nam optima res pax est, adeoque magna & diuina, vt vniuersa creatura hanc appetere & perquam desiderare videatur. Cum enim pax ipsa, Augustino teste, tranquillitas ordinis sit; & tranquillitas ordinis tunc sit, cum seclusis contrariis quibusque ordo conquiescit: constat res omnes, siquidem naturaliter fines suos appetant, & impeditia cuncta submouere contendant, pacem appetere, pacisque & quietis fructus vt adipiscantur, summa ope laborare. Quod autem Ierusalem pacisque nomen, verum nostræ ciuitatis nomen sit, is testis bonus est, qui dixit: *Et factus est in pace locus eius: Dei scilicet*, qui & huiusce vrbs fines pacem posuit, & tantam in ea voluit propagari abundantiam pacis, vt ciues ipsi non modo cum Deo pacis auctore & principe, non modo inter se omnes pacem haberent, sed singuli etiam pacis tranquillitatisque abundantia, & intelligendo in veritate, & appetendo in ipsa bonitate conquiescerent. Ea vero pax, hæc vrbs Ierusalem, hoc sanctissimum Dei hominumque domicilium, non quidem impiorum hominum est, qui quomodo non vera bona sectantur, ita nec veram pacem inquirunt: sed illorum est, patres, qui pacifici sunt, qui pacis domum vnanimis inhabitant, qui pacem his qui prope & his qui longe sunt, annuntiant: qui his ad quos diuertunt, pacem deferunt; & cum hospitio recepti non sunt, redeuntem ad se pacem ipsi recipiunt. Illorum est hæc sanctissima Ierusalem, quæ ex viuis lapidibus construitur, de qua Dauid loquitur, & cuius portarum seræ ac claustra a Domino confortantur. Hæc est illa Ierusalem, patres, in qua, sicut paulo ante inter diuinas res perlectum est, rex pacificus pacem relinquit nobis, pacem suam dat nobis: sed non quomodo huius mundi homines dant, ipse dat nobis. Ii enim pacem dant, vt molestia careant. Sed pax ibi vera non est, vbi nec vera concordia est, nec corda hominum coniuncta, sed disiuncta sunt. Ea autem pax quam Christus dat, & quæ in testamento pacis & in Ierusalem inuenitur, ea est,

Psal. 75.

Psal. 147.

Psal. 122.

ANNO  
CHRIST.  
1511.

ANNO  
CHRISTI  
1511.

patres, amoris vinculum, tranquillitas animi, simplicitas cordis, confortium diuinitatis. Quis vnquam vidit vel audiuit talia? Quid fuit vnquam tam singulare, tam nouum, tam inusitatum? Pax Christi non modo corda nostra & nostras intelligentias custodit, sed omnem etiam & humanum & angelicum sensum exuperat, omnique homo sanctus vocatur, qui scriptus, & qui relictus, & qui residuus fuerit in Ierusalem. Hanc itaque præclaram in mutatione mundi rerum nouitatem videns Ioannes, ciuitatem hanc non solum sanctam, non solum Ierusalem, sed nouam etiam Ierusalem, Spiritu sancto dictante, appellauit. Noua est enim. Nam qui in throno sedebat, & qui de thesauro suo noua & vetera profert, noua in ea fecit omnia. Fecit namque, vt neque languesceret aut veterasceret vnquam, neque senio conficeretur. Ex quo fit, vt hæc longe sit origine, dignitate atque auctoritate eminentior Hebræorum synagoga, quæ per antiquæ legis vetustatem consumpta, cultum & notitiam veri olimque promissi Dei Filii solita pertinacia, atque animi obstinatione repudiauit. Nam cum in synagoga ipsa in hodiernum vsque diem vetus homo sit, vetus lex, vetus fermentum, pristina conuersatio: in nostra certe hac noua Ierusalem omnia noua sunt, nouum cor, noua lex, nouus homo, noua conspersio. Quæ enim maior nouitas esse potest, quam Deum hominem esse, & rursus hominem Deum, eundemque verum Deum ac hominem clauis confixum, spinis coronatum, & innumeris affectum contumeliis, non aliis ipsum armis, quam cruce, quam morte, quam vulneribus infernum vicisse, calos ascendisse, ad Patris dexteram conscendisse, propterque suum nomen ac legem trucidatos & gloria & honore & felicitate perpetua affecisse? Quid, quod illius discipuli rudes, pauperes, abiecti obscurique homines, cum vniuersus fere terrarum orbis ignorantia tenebris inuolueretur, & erroribus ac superstitionibus sceleribusque obtemperaret tot atque tantis, vt dæmones omnium gentium dominarentur, ac summopere ab hominibus colerentur: hunc tamen ipsum mundum immundum ii Christi discipuli, ii ex infima plebe viri contra synagogæ pontifices, contra mundi imperatores, contra humani generis hostes, con-



tra leges, consuetudines, opiniones, non armis, non opibus, non vi aut ferro vicerunt, sed fide tantum, spe & caritate superarunt, purgauerunt, illuminarunt? Tam autem propria est nostræ ecclesiæ diuina atque sempiterna nouitas hæc, vt nulla hominum ætas fuerit, nulla vnquam ciuitas aut respublica, quæ non ab hac Christiana ecclesia cuncta acceperit, quæ filiorum Dei adoptionis perpetuæ existunt. Nam vt a diuo Thoma præclare scribitur, summum illud Dei beneficium, quod nostri gratiam appellant, & quo Dei filii efficimur, id adeo noui testamenti est, vt a mundi creatione sancti sanctæque omnes, quatenus naturæ diuinæ participes fuerunt, eatenus sub nouo testamento comprehendantur, ad quod veteris omnia sunt referenda. Verum cum hoc fieri nequie- rit, vt excellens hæc diuini humanique consortii nouitas ex terra terrenisque rebus oriretur, (quod enim natum est ex carne, caro est; & quod natum est ex spiritu, spiritus est) par certe & consentaneum rationi fuit, vt de cælo ciuitas hæc sancta & noua Ierusalem descenderet. Descendit namque de cælo vrbs hæc noua, cuius fundamenta nec in poetarum figmentis, nec in humanæ sapientiæ persuasibilibus verbis, neque in cuiusuis mortalis aut creatæ voluntatis appetitu, seu opinione iacta sunt: sed quæ in montibus sanctis, hoc est, in patriarcharum figuris, in prophetarum testimoniis, in præconiis apostolorum, in suppliciis martyrum, in admirandis Christi operibus, in sanctorum proborumque hominum purgatissimis mentibus, in virtutis denique & spiritus ostensione inconcussa ac firma perseuerant. Descendit autem de cælo non gressibus corporis, sed imitatione ac similitudine. Illius namque exemplo quæ in cælis est, reipublicæ beatissimæ, huius quæ in terris est, regimen constituit Deus, vt illud non penes omnes aut multos, sed penes vnum Christi vicarium & dominici gregis pastorem consistat. Nam sicut in Ierusalem illa quæ in cælis est, matre nostra vnus tantum Dominus est Iesus Christus: ita in hac Ierusalem illius filia, quæ Christi sanguine irrigata, & matris est illustrata splendoribus, vnus tantum princeps est, vicarius Christi & pontifex maximus, cui omnes descendens Ierusalem ciues & incolæ, non solum vt separatim singuli, sed etiam

ANNO  
CHRISTI  
1512.

vt simul vniuersi obedire debent: quemadmodum qui in superna sunt Ierusalem sancti, cum singulatim, tum vniuerse, diuisimque ac simul omnes vni omnium creatori subsunt, parent, obtemperant. Vt vero præclarissima hæc sunt? At dicet forte quis: Cum iis temporibus duæ nobis ecclesiæ & duæ Synodi proponantur, vna Romana, Pisana altera; vtrum ambæ de cælo descenderunt? Alteram enim earum tantummodo descendisse necesse est, siquidem Christi sponsa vna est. Sinite me hoc in loco, patres, respirare paulisper: nam quid a vobis in hac re constitutum sit, paucis dicam. **Q**uinq̄ue Christi ecclesiæ conditiones nobis, vt audistis, sanctus euangelista proposuit. Illam enim in primis esse ciuitatem, deinde sanctam, Ierusalem post, tum nouam esse, & de cælo postremo descendisse affirmavit. Illam igitur Synodum & in terris ecclesiam militantem, quam de cælo credimus descendisse, consentaneam esse præscriptis conditionibus, & in cælo triumphantis ecclesiæ formulis, procul dubio reperiemus. Eam vero quæ a supernorum imitatione prolapsa in præceps, ab illis deflectit viam, non vtique de cælo descendisse, quin potius ab inferis ascendisse iudicabimus. Hoc quando ita se habet, non descendit de cælo, patres, Pisana nuper patrum illorum ecclesia, non descendit de cælo infautus vbique & inuisus cœtus: non tantum e cælo facinus, non descendit, inquam, sed ruit. **Q**uamobrem? quia non obseruat ea quæ cæli sunt: non imitatur quæ cælorum regni esse traduntur. At quare hoc rursus? **Q**uia prorsus aliena est a reuelatis Apostolo conditionibus. Vt autem eas congruo ordine percurramus, quis vestrum putabit, patres, illum conuentum qui vnius tantummodo nationis est, si tamen vnius est, & non dimidiatæ, vel nullius potius gentis legitima coitio, quis putabit illum vniuersam coëgisse Synodum, eius ciuitatis, ad quam fortitudo gentium venit, ad quam multitudo maris conuertitur, ad quam omnes per circuitum orbis terrarum congregantur, cuius minimus in mille est, & paruulus in gentem fortissimam?

Tantum enim abest, vt ecclesia illa Pisana vera Dei ciuitas sit, quantum abest, vt sancta & legitima sit: tantumque recedit a candore sanctitatis, quantum ad errorum

fordes accedit: accedit autem plus tanto, quanto magis & Petrum ecclesie, & papam Concilio, & suo Conciliabulo summum, verum certumque Christi vicarium subiicere conatur. Quod tamen nil aliud est, mea sententia, quam naturam ipsius rationisque ordinem peruertere, & filios patri, & membra capiti, pastorique ipsi suarum greges ouium præficere. Sed & illud perspicuum est, Ierusalem nomen illi ecclesie nequaquam conuenire, propterea quod nec pacem habet, nec ordinis tranquillitatem, quodque tam excellentem ecclesie ordinem subuertere connititur, utpote quæ contra Romanam ecclesiam togata armataque bella commouerit, quæque ad quoscumque diuerterit, non modo pacem illis non attulerit, sed spem omnem pacis funditus euerterit. Quæ singulatim omnia commemorarem, nisi intelligerem nimio etiam plus quam vellem esse manifesta. Non igitur Pisarum: Synodus, Synodus Ierusalem est, sed ciuitas ac turris Babel potius, quæ in terra Sennaar confusionem fecit, & concordiam ædificantium disiecit. At dicent nonnulli: Saltem vna ex multis, & quarta ex quinque præscriptis conditionibus Pisano cœtui conueniet, nouitas scilicet. Quid enim tam nouum & inusitatum ac mirabile est, quam esse qui contentur efficere, ut miles duci, filius patri, domino seruus imperet, oues pastori, denique pedes & cetera membra capiti? Fateor equidem & ego quoque noua hæc esse, sed tamen aliena prorsus ab illa sempiternæ sanctissimæque ciuitatis nouitate. Multum enim inter hanc illamque interest nouitatem. Nomen vtriusque commune est, sed res & significatio diuersa. Hæc enim Ierusalem nouitas a Spiritu sancto est, & æterna est. At illam Pisanam vnica tantum obedientia & ecclesie pars tunc effecit, cum schismatis illius tempore tres ita maximi pontifices habebantur, ut nullus eorum aut certus quidem, aut absque ambiguitate verus Petri successor existimaretur. Hæc itaque nunc Pisanam nouitas Constantiæ tunc ortum habuit, & euauit; Basileæ repullulauit, & explosa est: atque iis etiam temporibus, si vos viri eritis, interibit, quemadmodum sub Eugenio quarto summo maximæ huiusce sedis pontifice repressa est. Neque enim de caelo descendit, atque ob id diuturna non est: neque vnus principatum am-

ANNO  
CHRISTI  
1522

plectitur, qui & in illa triumphante ecclesia est, & hanc militantem conseruat, quemque Synodus Pisana amplecti deberet, si e caelo descendisset, & nunquam multitudinis regimini, uti facit, inniti. Longe igitur ab hac Christi Pisarum ecclesia discrepat. Hæc enim fidelium est, illa cauillantium: hæc domesticorum Dei, illa aberrantium: hæc Christianorum hominum, illa vero eorum qui Christi vestem conscindere, & a mystico Christi corpore mystica Christi membra seiungere non verentur. Habetis, patres, quid de Pisana Synodo communiter locutus sum. Hoc enim vniuersi totis deuotisque animis deprecamur. Assequetur autem hoc, te volente, teque imperante, si tu ipse, pater sancte, omnipotentis Dei, cuius vices in terris non solum honore dignitatis, sed etiam studio voluntatis gerere debes; si ipsius Dei potentiam, perfectionem sapientiamque imitaberis. Atqui ut in primis potentiam imiteris, accingere, pater sancte, gladio tuo, tuo, inquam, accingere: binos enim habes, vnum tibi reliquique huius mundi principibus communem; alterum tibi proprium, atque ita tuum, ut illum alius nemo nisi a te habere possit. Hoc itaque gladio tuo, qui ecclesiasticæ potestatis est, accingere potentissime, & accingere super femur tuum, id est, super vniuersas humani generis potestates. Cumque accinctus fueris, tum intende contra errores, contra hæreses, contra dissensiones, denique contra inferni portas, errorum, hæresum & dissensionum auctores. Nec intende solum, sed etiam procede & regna. Procede in primis, & prospere procede, gentes quæ bella volunt, dissipando: tum regna, sacerdos & rex, quæ pacis sunt cogitando, inquirendo, persequendo. Is namque idem, quem imitari debes, & rex regum est, pacifque princeps, & Dominus dominantium, rexque pacificus. Hanc autem summam potentiam tuam diuina perfectio comitetur. Perfectio hæc, misericordia est, qua pater ille cælestis & perfectus solem suum oriri facit super bonos & malos, pluitque super iustos ac peccatores. Nam si tanta vbique misericordia præstabis, ut non modo amicos, sed inimicos etiam ac hostes ad tui nominis reuerentiam, ad apostolicæ sedis cultum, ad Christi ecclesiæ vnitatem, ad huius Concilii manifestam professionem ve-

nire compellas, recte, pater sancte, Dei perfectionem imitaberis humano more. Nulla enim de virtutibus omnibus nec admirabilior, nec excellentior misericordia est, nulla magis principi propria, nulla potentiae summæ cognata magis atque amica est. Hæc te præ regibus terræ excellentissimum, hæc te vniuersis populis adorandum, Deoque insuper te & gratum & amicum & simillimum reddet. Verum cum multos multarum nationum gentiumque viros clarissimos per Dei tuamque misericordiam ad hanc Synodum venturos accessurosque existimemus, vna se tibi ad hanc rem offert diuina sapientia, quæ a fine ad finem fortiter attingit, & disponit omnia suauiter. Huius nuper exemplo a fine ad finem tum attingisti fortiter, pater sancte, cum indicto Concilio hoc atque inchoato, vniuersos ad bene de Christiana republica sperandum excitasti. Dispones autem suauiter, prouidendo sapienter, ne vocati a te, iuste queri possint, se, vt par erat, in re tanta expectatos non fuisse. Quare postquam hodierno die, quod bonum, faustum felixque sit, de singulis quæ ad huiusce sanctissimæ Synodi conseruationem & statum spectare videbuntur, constitutum fuerit, tum de iis quoque constituatur nationibus, quæ cum intellexerint Romæ & a Romano pontifice Concilium Synodumque haberi, & desiderari se atque expectari, cunctæ procul dubio nobiscum vna ad Christianæ religionis disciplinam, ad apostolicæ auctoritatis maiestatem, ad communem fidelis populi salutem, ad labentium rerum restitutionem, ad totius præterea ecclesiæ defensionem & rem conuertentur. Sic namque hoc sacrosanctum Concilium in cælum ascendet cum catholica ecclesia, quam refert, & quam Ioannes ciuitatem esse sanctam, esse Ierusalem, nouamque esse, atque de cælo descendisse, contemplatus est. Dixi.

SESSIO